

VER AVTVMNALE

In Gentilitio Roseto

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

D. VLADISLAI
SILNICKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI TERNOPOLOTA-

NI, SUFFRAGANEI VILNENSIS &c. &c.

Sub auspicijs Regis florum

LILI PACIANI
REPERTUM.

Gratoquè calamo Solemni con-
secrationis die,

ab addictissimo Cliente,


R.D. STEPHANO DĘBKOWSKJ

A A. L.L. & Philosophiæ Magistro,

Sacræ Theologiæ Auditore,

ADVMBRATVM.

Anno à Flore Virginali in terris germinante
MDCLXXXIII. Vilne



Flores apparuerunt in terra nostra. Cant: 2.

V.

S.


D.

G.

E.

T.

*Triplex in triplici vernali Tibi Gratia Flore
Stemmatico Praesul: Purpura, Candor, Odor.
Hae ego SILNICIAE clarissima Stemmatum stirpis;
Hec ego virtutis schemata cerno Tua.
Emicat in roseo Tibi regia Purpura vultu,
Pectoris interpres, Candor in ore viget.
Caeligenæ pietatis Odor nos cum trahat omnes
Te quoque Pastorem grecum cupit esse suum.*



95323



AD ILLVSTRISSIMUM AC REVERENDISSIMUM D.
**D. VLADISLAVM
 SILNICKI
 EPISCOPVM TERNOPOLI-
 TANUM, SUFFRAGANEUM VILNENSEM &c. &c.**



*Ortunatissima queque Tibi augur animus
 ominatur, cum undique coronis stiparis
 Illustrissime ac Reverendissime Domine, Sive
 enim Principem florum, PACIANUM
 LILIUM, cuius fauentissimo influxu Tue
 pullulant ROSÆ, specto, nihil aliud nisi coronatum Re-
 gem. Tibi parare coronam adverto, sive hoc Primateflo-
 rum insigniti Primatis Lituanie nomen STEPHANI
 intueor, coronam reperio, sive Tue triplicis Rosæ Regine
 florū qualitates introspicio, ex ijs facile texendam coronā
 non ambigo, sive denique infulatum Honorem Tuum
 præ oculis habeo, nihil nisi actum coronationis Tue agno-
 sco: adeò, ut meritò non modò Infulatus, verum coro-
 natus dici merearis. Fcessat hinc Æmilianus Scipio, qui
 de hostibus potitus Victoria, gloriae auceps posteritati
 relinquendæ fastu tumidus, Rosis triumphalem
 currum, quo pomposè vctitabatur, coronari iussit. Absce-
 dat & alter eiusdem farinæ socius Cornelius Scipio, qui
 debellato Annibale superbâ dextrâ, perpetua laudis reli-
 turus exemplum, Rosam ne dum ipse pratulit: verum*

etiam & militibus suis iam præferri, iam scutis insculpti
voluit. Facebat inquam uterq; cum suis rosis; maiori Tuae
venustissimi Flores afficiuntur estimatione, cum iam non
exanimes currus, nec sanguinolentas exornant dextras,
sed emeritum adeoq; Præsuleum coronant & decorant
verticem. Litauit quispiam Triadi gratiarum, rosarum
Tuarum Triadem, & merito: nam cùm gratissimos spirent
odores, non nisi gratiis litari poterant, ut sic glorioius ver-
narent, & sic singula singulas etatis tuae partes deprædi-
arent: si enim ver etatis tuae (adolescentiam loquor) accu-
ratiū perpendere placet, in hac, iam flores humilitatis,
iam affabilitatis, iam mansuetudinis, iam modestie cete-
rarumq; virtutum inuenire perfacile est, qua etatis par-
te, ubi ingenium artibus liberalibus, nemini non pari
habilitate ac sedulitate ad plausum omnium perpolisti.
de virtute in virtutem faciendo gradum, gradationem &
processum in infinitum prope fecisti: si etatem etatis tuae
(sacerdotalem statum intelligo) in trutinam vocare licet,
quantus zelus & feruor diuinæ glorie, amorq; proximi
enituit, effari, & Tua modestia ad suas laudes verecunda non
permittit, & mea exilitas exprimere, aut non audet, aut
non potest. Vbi vero post flores virtutum ad maturitatem
honorum peruenisti & supremum Præsuleum dignitatis
apicem obtinuisti, quanto maiora ominari & sperare possu-
mus; iam ex antecedentibus consequentia nullo negotio
colligimus. Floreas itaq; Ipse, floreant autumnales Tuae
ROSÆ, in odorem suavitatis quam diutissime, ita ut
fidelium obtutus sua venustate recreant, aduersarios ve-
ru, veluti scarabæos impatientes sui odoris perimant.
Hoc unicè precatur.

Illustrissimæ ac Reueren-
dissimæ Dominationis Vestræ
Addictissimus Cliens
Stephanus Debkowski.

ROSA PRIMA

Status adolescentiæ.

Ver in autumno iterum reflorescit,
Iterum post æstivum in adulta messe spicilegium,
Novum florilegium repubescit,
Procul hinc urticæ mordacesq; spines:

Adeste Rosæ,

At non milesiæ: quia serò vernatis.

Campanas vos velim;

Sed præcoces floretis,

Præmatura maturitas non diuturnæ stabilitatis indicium est,

Tuum Illustrissime Pæstanis Rosis viridarium opus habet,

Quia hæ nascentibus similes,

Adolescentis ætatis æmulæ,

Accessum cuiq; facilem præbent.

Quia solâ innocentia tutæ, mænibus spinarum non muniuntur,

Innocentia enim se ipsam sine tute tutatur,

Impietas verò nullo arcium claustro secura est.

Rosæ à Viragine quadam (si credimus Poëtis) originem ducunt,

Hæ manè candore, meridie rubore, vesperi virore conspi-
cūdicia assolent.

Nec Tuas quispiam Rosas candidas in exortu negabit,

Vel quia

Sacro fonte Baptismatis ablata,

Vel quia

Innocentia niuescentes,

Illū candore gratioſo præferunt aspectu,

Quem Tua adolescentia imbibit materno, cum lacte,

Illas candore & nativo purpurissō gratias repræsentant,

Quas in Te suspicimus uniuersi.

Sive enim animi Tui temperiem spectemus,

Sive verecundiam vultus contempleremus,

Eas conspicimus gratias amænè ridentes;

Quæ omniū ne dicā ora, sed & corda in sui amorē pertrahunt.

Praecelsa sui submissio Tibi vbiq; familiaris,

Gratiae titulum iure meretur.

Cæteri honoribus elati sublimi gradiuntur ungue

Et in gyganteam assurgunt fastu molem.

Tu, quò altior, eò demissior.

Quò profudi⁹ descédis per virtutis gradū,

Eò sublimi⁹ ad honoris fastigium alcédis

Vix enim bonus qui sibi soli bonus.

Bonitas more fontis in riuos exundat,

Hanc Tibi esse congenitā facilis accessus & comis sermo testatur

Atq; adeo

Ut nemo sit qui apud Te repulsam passus,

Nemo qui suorum votorum compos non extiterit:

Parem aurem etiam imparis sortis mortalibus exhibuisti,

Vel quia

*Virtus nullis limitibus continetur, sed impatiens termini⁹
immensa decurrit spatia.*

Vel quia

Omnis bonum est communicativum sui.

Religionis quantus Odor

Sit sub Rosa,

Quia hic magis latet, quam patet:

Quem

Postquam primam depositisti praetextam

& tatisq; Tuæ rudimenta diuiniori scientia excoluisti,

Gratus

Gratum Ubiq; superis,
Gratiorem ad A ram incensi licasti
Ut verè dici possit, Odor Tuus sicut Odor agri cui benedixit
(Dominus.

R O S A S E C V N D A

Status Sacerdotalis.

A Ude calame

A Pythagoræ discipulum ne age
Etsi elinguis sis Linguistā te esse o portet
Harpocrati silentii Deo Rosa sacra est taciturnitatis tessera
Te tamen silere de ea nequaquam conuenit.

Dic aliqua, tace plurima,
Dic quod silere non potes, tace quod loqui.

Illusterrimi Præfulis

Rosas rubeas esse non ignoras!

Candore tamen retinere,

Vel ipse albus campus testis, candidæ sinceritatis index
Quinimo studiosus ipse diuinæ gloriæ propagandæ ardor.

Nendum rubicundas Rosas, sed ignitas etiam efficit

Quæ, quò magis inflammantur, magis candescunt,

Et Diuini Amoris igne, & Innocentiae Nive,

Dicas etiam magis vircent,

sed prodigiose

Nempe

Florum ritu in rubo Mosayco virescentium

Quos innocens depascet batur flamma

Non tamen lædebat.

Amorem proximi meminisse in Te libet,
Illusterrime Domine.

Quem fragrantia Rosarum Tuarum prodit,
Ubiq; enim vestigia benevolentiaz relinquis.

Nec fortunatum Te vñquam existimasti, nisi alios fortunatos
efficeres.

Dives illud inopum gratia Tux penu nisi nolenti non patet.

Si ue dona desuper tibi concessa largiris,

Siue corporali necessitati largâ manu subuenis.

Notus es, avitis ceris, sed notior liberalitate.

Latere tibi non aliter ac soli conuenit,

Vt à cunctis digito monstrari possis,

Et dicier hic est.

Rosas alijs floribus antecellere nemini non patet.

Quippe cum cæteri emarcuerint, odore priuantur.

Huic soli eundem Odorem semper spirare concessum,

Vium Prototypon est Illustrissimi Præsulis,

Gentilitia Rosa.

Hic enim secunda & aduersa eodem vulcu tulit,

Semper diuini cultus promouendi studiosissimus.

Unde tanta vis? unde vigor? unde constans robur?

Vel ab Ethymo Nominis discere licet.

Fortitudine enim Tuâ; magnarum virtutum spatia emensus,

Irrequito animo ad maiora anhelas,

In dies temetipso maior.

De pietate quid loquar?

Quæ, cum primam. adhuc traheres duram, pectori Tuo
(illapsa est:

Illa Te animare cepit, Tu illam adamare cepisti:

Tu quidem litabas pietati,

Laudes verò spectantium, Tux gloria

Gloriosa per hominum & famæ præconia tua fertur pietas,

Vt nequaquam passus calami opere exequari valeant.

Superas namq; omnes laudos, quia laus laudis es.

RO.

ROSATERIA

Status Præsulei

Intra felicib⁹ avib⁹ tēplū honoris,
Quia satis diu desudasti in templo virtutis.
Ætas enī Tua virtutes pro momētis tēporū numerat,
Anni supputantur meritis;
Æuum constat gloriā.

Iam videt autumnus Rami fructus, cuius ver flores videt,
Verna etiam Tuarum Rosarum ætas cum meritis floruit.
In autumno fructum honoris ferat, necesse est,
Triplex hæc Rosa feruoris diuini passa æstus,
Tandem Coronam pro vmbraculo exposcit,
Quam ut pote Regina florum de condigao meretur.
Si enim floribus vellet Iupiter imponere regnum:
Excellit Rosa floribus.

Tuas Rosas sine spinis dixisse,
Ut pote gratiarum faciles dispensatrices.
Sed hac laude multūm de gloria detraherem;
Nam Rosa sine spinis nata, uni salutem, alteri exitium
afferre dicitur.

Primum Tuæ Rose familiatissimum,
Alterum ē diametro inimicum,
Nisi Orthodoxæ fidei hostes intelligere velis,
Hæc enim germana Plutonis proles,
Ad primum Rosarum Tuarum intuitum cœcutit,
Vespertilionis in modum Roseam lucem fugit.
Ut malè agens, peius in latebris errorum agere disscat;
Scarabæorum nomen citra iniuriam veri promeretur,
Quia odore Rose veluti nidore offenditur.
Avite Tuæ Rose intra Mænia Giedimini Carthaginem-
ses sunt.

Quia semper florent nunquam marcescent.

Vitam s̄eculorum non annorum agunt,

Effutivit sanè verbum quo dixit:

Quād longa una dies, etas tam longa Rosarum,

Quas pubescentes iuncta senecta premit.

Hoc perennantibus Rosis Tuis non conuenit effatum

Nisi diem illam Regii vatis intelligere veliss.

Quæ mille annos complectitur.

Verius Tuarum Triadi Rosarum illud vatis occini potest;

Multiplices triplex annos Rosa florida vivit.

Et vernal nullo tempore digna mori.

Age ergo Illustrissime Præsul

Caput amicum superis, ut Tiarâ Pontificiâ coronetur submitte;

Manum sacro sceptro instrue,

Imperabis,

Non hominibus tantum sed hominum animis.

Tantò augustior Imperator, quanto sanctior,

Digitum annulo, animum Deo induc,

Sic dignitas ornabit virtutem, virtus dignitatem coronabit.

Multū quidem gloriæ tulisti

Cum Te Metropolis olim Poloniæ Gnesna Canonicū agnoscit,

Vilna caput Religionis Lituaniæ

Eodem Titulo insignem venerata est, & veneratur.

Sed non satis.

Donec Te Antistite ac Pontificē Ternopolis habere gloriaretur

Iam satis est laudis

Cum Præsul audis.

Indue itaq; Præsulea insignia publicæ felicitatis omnia,

His rebelles impete, subditos regimini Tuo soue,

Heterodoxos reprime, Orthodoxos promove,

63

Et in hoc alto honoris Præsulei culmine, constitutus,
Viue Deo, Nobis viuito, viue gregi,
Integer, Incolumis, inoffensus.
Vita, votis, fatis sauentibus.

R O S E T I Silniciani amplitudo.

Atales Tuos qui indagat sacris
Inaugurate Antistes,

Nili originem ignorat:
Ventosa in aliis prosapia nomina,
Aut fortunæ fauorem,
Aut alienæ gloria laudem superbe ostentant.

Auuos Tuos Proauuosq;;
Non nisi per honorum fasces,
Et virtutis heroæ decora
Numerari necessum est.

Ea nominis Tui Præsule est gloria,
Ut pares paucos, superior pauciores inuenires,
Magnam equidem familiam inuenisti,
Et licet non inuenisses, fecisses.

Annales Lechici, Luculenti anteactorum testes, Quot nomina, tot maiorum Tuorum Numinia recensent, In trabea magnos senatores, In lago summos bellatores, & infractos.

Nedum in Parente Illustrissimi: verum in Patruis
Solaribus æmuli radiis, emicant splendores.

Quorum alter Castellanus Camenecensis,

Vir consilii, vir laticlavi
Alter magni nominis Heros, fortis Achilles,
Qui Cæsareæ Maiestatis Magnus Colonellus
Hic bello, ille Pace Romanam Polonam auxera.
Accedunt amplissimæ Domus magnæ huic familiæ in ornamento.
Quantum enim Silnicianæ stirpi
Inclytæ Stadniciorum Ceræ
Decoris,
Illustrissima MNISCORVM Prosapia proximo sociata gradu
Luminis,
Patriis limitib⁹ in circucripta KONIECPOLSCIORVM
(domus,
Semper Magna, semper Illustris.
Splendoris,
TARŁOVIORVM, NARZYMSCIORVMq; Familia
Arte & Marte florentissima
Gloriæ addunt.
Quantum famæ perennis confert
Illustræ MAZOWECCIORVM genus,
Meritis in Patriam,
Præclare factis in Rempublisam,
Religione in superos inclytum,
A quo per Maternum Sanguinem
Corruata in Te, avita traxisti decora
Vniuersa Polonia testis.
Cæterum Heròum Sarmaticorum stemmata
Quæ aut cognato sanguine contingit.
Aut quibus arcto necessitudinis vinculo adstringeris
Non euoluo,
Vel quia angusta pagina non valcent contineri

64

Vel quia amplitudine sua styli calamiq; vires excedunt.

Profectò

Antenatorum virtutes si non superasti certe exequasti,

Compendium Maiorum Tuorum factus,

Omnia in Te eorum decora collegisti:

Gloriosè de Antenatorum origine resplendes,

Sed gloriosius proprijs virtutum luminibus radias,

Illustris Prosapiā,

Illustrior virtute Tuā,

Nōsti apprimē

Illud inter virtutis operosæ & originis autæ claritatem discrimen esse,

Quod

Nomen sanguine ac hæreditario iure transmissum,

Notum reddat,

Nobilis, sudoribus acquisitum,

Et quamvis vetustis originis gaudas insignibus,

Factis tamen posteros omnes erudis.

Non tam elogiis veterum Heròum fastuosè gloriandum.

Quam grande nomen

Operoso virtutis parandum esse studio:

Namq;

Augustiora sunt nomina que actio Illustris excudit,

Quam que Nobilis origo concessit.

